

Disputatio medica inauguralis de chamomilla / [Johann Daniel Scheffer].

Contributors

Scheffer, Johann Daniel, active 1700.
Université de Strasbourg.

Publication/Creation

Argentorati : Literis Johannis Friderici Spoor, [1700]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jyh7bdr>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

35
F. N. F.
DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
CHAMOMILLA

Quam

PRÆSIDE TRIUNO DEO
Decreto & auctoritate inclytæ Facultatis
Medicæ

*In Illustri Argentoratensium Uni-
versitate*

Pro


Summis in Arte Medica Honoribus & Privi-
legiis doctoralibus ritè consequendis

*Solenni ac placido Eruditorum Examine
submittit*

JOHANNES DANIEL SCHEFERUS
Landoa-Alfatus

d. 8. M. Sept. 1700.

H. L. Q. S.



ARGENTORATI,
Literis JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.

467 62/P
*MUNERIS AMPLITU-
DINE atq; CELEBRITATE NOMI-
NIS SPLENDIDISSIMO*

DOMINO


JOH. FRIDERICO
SCHMAUSIO,

Serenissimi Principis Bado-Durla-
censis Consiliario aulico, Ejusdemq;
Camerae Durlacensis Directori
longè meritissimo

*Dissertationem hanc Inauguralem
submisso animo*

consecrat

JOH. DANIEL SCHEFERUS.



Q. D. B. V.

DE CHAMOMILLA.

Proœmium.



Ub primis Medicinæ initiis, Medicamentorum apparatus exiguum valde, & angustis admodum cancellis inclusum fuisse ex antiquorum monumentis satis elucescit; sicuti & reliquarum artium & scientiarum eadem erat conditio, ut à tenuibus primordiis sensim temporis longinquitate augmentum sumentes, indefessa illas excolentium industria & acri studio ad amplissimum demum fastigium ascenderint. Ut aliorum authoritates hic omittam brevitatis gratia, vel solum L. Annæi Senecæ testimonium de Medicina hic sufficere poterit, qui Epistola 95. inquit: *Medicina quondam paucarum fuit scientia herbarum, quibus sifteretur fluens sanguis, vulnera coirent paulatim, deinde pervenit in hanc tam multiplicem varietatem.* Conferatur etiam quæ hac de re habet VENERANDUS FACULTATIS MEDICÆ SENIOR in præfatione taxæ Argentoratensi præfixa. Hodiernis verò temporibus in vastissimam molem, immensum & innumerum fere numerum Materia Medica excrevit, ita ut nimia sui copia discientium ingenia fere obruat. Tria regna ex quibus remedia depromuntur si spectemus facile veritas dictorum patebit. Vegetabile regnum, quam ample diffusum est, quot & quam varia supeditat? Animale regnum hic etiam fœcundissimum est, & largissimum Materiæ Medicæ penu subministrat. Imò etiam in viscera terræ itum, & ex Minerali regno uti plurima ita

efficacissima remedia Vulcani ope & arte chymica eruta. Nec quæ nostræ regiones larga satis manu proferunt imò profundunt remedia ad Morborum depulsionem sufficere videbantur, nisi & ab extremis terræ oris & India utraque undique conquirentur. Ut de tot compositis imò decompositis nunc nihil dicam, in tam variis dispensatoriis, pharmacopœis, armamentariis &c. hinc inde prostantibus. Ut igitur quis ex tam vasto Oceano feliciter emergat, consultum, suasu peritissimorum Medicorum esse videtur, ut selectus quidam in tanta farragine instituat, & quamvis vastissimam sibi hac in re comparare cognitionem consultum omnino & decorum sit, ut Medicus hac ratione omni remediorum genere instructissimus, ad profligandos Morbos paratior accedat, tamen euporista, polychresta, efficacia, longo & frequenti usu comprobata præprimis quam notissima redantur, & quanta fieri potest assiduitate firmissimè memoriæ imprimantur; Non enim qui multa sed qui utilia scit, ille demum doctus hac in re est censendus. Inter talia euporista & polychresta si CHAMOMILLAM quoque recensuero, non male fecero, utpote quæ passim sua sponte largiter satis proveniens, efficaciam suam tam interno quam externo usu utiliter quotidie demonstrat. Etsi enim vulgatissima sit planta, non tamen propterea illius usus statim contemnendus, cum plures hæctenus Medici magno conatu id egerint, ut domi nostræ natis, & vilioribus potius quam pretiosis & exoticis finem medendi consequerentur. Quo in casu Franciscus Joël, Gryphisvaldensium olim Physicus & Professor celeberrimus ab Hermanno Grube, *de Medic. simpl. cogn. s. 1. art. 2.* præcipue laudatur, utpote qui praxin suam posteritati relictam ad plantas vernaculas direxit, ratus, minus subesse periculi, si ea, quæ domi nascuntur, in usum Medicum potius trahantur, quam si sub specie secretioris pharmaci talia sæpe ægris propinantur, unde non leve oriatur periculum. Hinc laudatus modo Joël ejusdem Grube testimonio, tam accuratam domi procrecentium habebat notitiam, ut nullum ipsum eorum fugeret, cujus certum etiam sibi non daretur experimentum. Sicuti alii quoque autores non minus

nus eruditè & nervose id egerunt, ut medicamentis nostratibus dignum statuatur pretium, quemadmodum in hujus generis argumento plures fuere solliciti, nominatim Thomas Bartholinus, in Medicina Danorum Domestica. Johannes Beverovicus, in *αὐτάρχεια* Bataviæ, Jacobus Constantinus Derebecque, in Medicinæ Helvetiorum Prodomo. Joh. Prævotius in Medicina pauperum, ut jam alios plures silentio hîc præteream. Non tamen hæc ita accipi velim, ac si omnem exoticorum usum rejiciendum putem, cum si prudenter adhibeantur, commode iis, præcipue quoad aromata & purgantia carere non possimus, saltem abusum hic damnamus, & nostratium contemptum. Nimis enim acris hic videtur Plinii l. 22. c. 24. censura, dicentis : *Nos nec Indicarum Arabicarumq; mercium, aut externi orbis attingimus Medicinas. Non placent remedia tam longe nascentia: non nobis gignuntur: imò ne illis quidem, alioqui non venderent.* Sufficit nobis in præsens saltem id intendere, ut domesticis & indigenis medicamentis sua quoque laus, suus honos constet. Sed ne nimis longi simus inter domestica Medicamenta, CHAMOMILLAM in præsens ad manus sumemus, & cum exantlatis bono cum DEO examinibus Doctoralibus, à Gratiola facultate Medica almæ hujus Universitatis benigne Licentia concessa fuerit, Disputationem Inauguralem, pro honoribus & privilegiis Doctoralibus ritè & legitime consequendis, conscribendi, CHAMOMILLAM publice in Cathedram producemus, ejusque vires & facultates pro ingenii tenuitate & temporis brevitate examinabimus. Neque id sine exemplo facimus, cû alii similiter ex Materia Medica desumpta simplicia pro disputatione Solenni Eruditorum Examine subjecerint, sicuti de Lazulo, Margaritis, Théè, Cophe, Succolada, Rosa de Hiericho, Nuce Moschata, Cinamomo, Malo Citreo, Jalappa, Osse cordis Cervi, Anguillis, Moscho &c. tales Disputationes prostant. Lectorem Benevolum obnixè rogamus, velit sua humanitate tenuitatem nostram sublevare; Faxit DEUS T. O. T. M. ut præsens tractatio, in ejus Nomine instituta, vergat in sui gloriam, proximique emolumentum.



I.



CHAMOMILLA jam antiquioribus magni fuit æstimata, unde Plinius *H. N. l. 22. c. 21.* eam magnis laudibus ab Asclepiade celebratam fuisse refert, & Galenus *l. 3. de simpl. Med. Facult. c. 10.* ab Ægyptiorum sapientissimis soli consecratam esse affirmat. Ex Recentioribus de **CHAMOMIL-**

LA D. Albertus Bulichius, Physicus Neo-Ruppinensis integrum tractatum conscripsit, sicuti Bartholomæus Zorn, in *Herbario Pancoviano*, ubi de **CHAMOMILLA** agit restatur, cujus titulus: *Anthemiatrice s. Medicatio per CHAMOMILLAM*, cujus plantæ natura & usus ita docetur, ut eam esse instar Panacææ constet, qui tamen tractatus, ob auctoris maturum obitum, lucem publicam nunquam vidit.

II. Ut verò à nominis notatione initium recepta hætenus eaque laudabili consuetudine faciamus; Dicitur Græce Dioscoridi *l. 3. c. 154.* ἀνθεμῖς & Theophrasto *Hist. stirp. l. 7. c. 13.* ἀνθεμόν quod vocabulum in genere florem, & idem quod ἀνθεμόν demonstrat, unde fit ἀνθεμόεις, floridus, vernans, elegans, pulcher, varietus, sicuti Lexicographi habent. Quidam putant ἀνθεμόν dici, quod à summitate florere incipiat, quod & Plinius *H. N. l. 21. c. 17.* innuit, dicens: *Mira & anthemidis Natura, quod à summo flore incipit, cum cetera omnes, quæ particulatim florent, ab ima sui parte incipiant.* Alio nomine dicitur etiam χαμαίμηλον ex χαμαί adverb. quod significat humi, ad terram, & μήλον malum seu pomum ex hac ratione, quod testante Plinio *l. 22. c. 21.* odorem mali habeat. Quod de primo potissimum genere ipsi Leucanthemum dicto intelligendum venit. Latine dicitur etiam Anthemis, ut ex citato Plinii loco patet, uti & **CHAMOMILLA**, item **CHAMÆMELUM**, **CHAMÆMILLA**, **CHAMÆMELON**, **CHA-**

CHAMÆMILON. Germ. Chamillen/Camellen/Gamillen/Laugenblum/Hörmichen/Magdblum. Atque hæc pauca circa nominis notationem sufficient.

III. Jam etiam ad genera ejus accedamus; Plura quidem Theophrasto, at Dioscoridi & Plinio l. c. tria solum eaque flore tantum distantia recensentur. Et sunt (1.) flores in medio aurei, orbiculato ambitu candidi, & leucanthemum dicitur. (2.) Flores melini s. lutei & Chrysanthemum appellatur, quasi dicas flos aureus, hanc alii Caltham seu Calendulam, alii Bupthalmum esse credunt. (3.) Flores purpurei & Eranthemum vocatur, quoniam juxta Plinium vere floret. Hanc plantam consolidam regalem esse autumat Leonhard. Fuchsius *histor. plantar.* t. 8. quas tamen controversias in præsens nostras non facimus.

IV. Cum autem adhuc sub judice lis sit, qualesnam plantas veteres per secundum & tertium genus intellexerint, recentiorum quoque differentias adducemus; itaque alii hac ratione dividunt, ut distinguant inter CHAMOMILLAM & Cotulam. Illa est vel Vulgaris seu nostras, quæque usitatissima, & est num. 1. C. B. P. vel est Romana, s. nobilis odorata, quæ itidem est usualis & in officinas recipitur, & est num. 2. C. B. P. atque Parthenium quibusdam dicitur. Hæc verò nempe Cotula est itidem duplex, est enim vel foetida, & est num. 8. C. B. P. vel est inodora, & est num. 7. C. B. P. quæ duæ species rarius sunt usuales, & à vera CHAMOMILLA officinali vix nisi odore distinguendæ.

V. Caspar Bauhinus in Pinace genera sequentia ponit:

1. CHAMÆMELUM vulgare, Leucanthemum Dioscoridis.
2. --- --- Nobile s. Leucanthemum odoratius est Chamomilla Romana vulgo dicta.
3. --- --- Leucanthemum Hispanicum magno flore.
4. --- --- Chrysanthemum Hispanicum odoratum.
5. --- --- Nobile flore multiplici.

6. Luteum

-
- | | | | |
|-----|-----|-----|--|
| 6. | --- | --- | Luteum capitulo aphylo. |
| 7. | --- | --- | Inodorum f. Cotula inodora. |
| 8. | --- | --- | Fœtidum f. Cotula fœtida. |
| 9. | --- | --- | Alpinum. |
| 10. | --- | --- | Leucanthemum incanum Hispanicum minus. |

VI. Atquæ hæc sunt potissima CHAMOMILLÆ genera, quod enim exemplum profert Olaus Borrichius *act. Haffn. vol. 1. observ. 62.* de CHAMÆMELO contortuplicato, caule in se varie inflexo, septem flexib. à Natura aberrante in spiram distorto, flore oblongo, qui alias rotundus esse consuevit, quia duo aut tres flores in fastigio caulis in unum coaluerant, cujus etiam iconem exhibet. Item *ibid. Obs. 63.* de Cotula Fœtida fasciata, caule in fasciæ modum lato, foliis justo minutioribus, ex fasciæ illius parietibus utrinque magno numero exeuntibus. Ut & loco modo allegato de simili CHAMÆMELO à Th. Bartholino ipsi ostenso, cujus caulis in tenuem, sed duos transversos digitos latam se ampliaverat fasciam, quorum itidem icones ibidem habentur; similiter quam observationem Melchior Fribe, *Ephem. Acad. Natur. Curios. Decur. 1. ann. 3. Obs. 166.* producit, de raræ magnitudinis, multisque floribus majoribus & minoribus adornata CHAMOMILLA, quamque ad vivum depictam simul transmisit, illa potius ad monstrosos Naturæ fœtus quam ad peculiare plantæ hujus species sunt referenda, sicuti ipse laudatus modo Borrichius in ejusmodi plantis monstrosis Naturæ lusum agnoscit, & forte duo vel tria semina coaluisse autumat.

VII. Ut etiam notam characteristicam, qua hæc planta ab aliis distinguitur, proferamus, refertur ea ad herbas corymbiferas veras, cujus notæ sunt folia tenuissime dissecta, flores sprasi, satis grandes, foliis marginalib. discum flavum cingentibus, vid. Samuel Dale *Manud. ad Mater. Medic. p. 163.* Corymbus autem denotat quodvis summum, emittens cacumen, & ita proprie hederæ racemi appellantur. Sic Plinius *H.N. l. 16. c. 34.* inquit, racemi in orbem circumacti vocantur

vocantur Corymbi. alii nomen extendunt ad significandam extremitatem caulis, ita subdivisam & floribus onustam, ut sphaerica figura inde oriatur, ut in cepa, porro &c. apparet. Recentioribus verò Botanicis, quæ significatio etiam hujus loci est, sumitur pro flore composito discoide, qui in pappos non resolvitur, qualis in nostra CHAMOMILLA, Chrysanthemo, Calendula, Buphthalgo, Bellide &c. cernitur. Discus verò Recentioribus Botanicis est media pars floris compositi ex compressis & confertis flosculis, ita ut unam quasi apparentem superficiem constituent, ut in floribus modo recensitis apparet.

VIII. Cum autem planta sit vulgatissima ubique obvia, & ab omnibus passim cognita, ejus prolixam descriptionem hic non dabimus: Licet enim de aliis multis plantis ultro citroque disputent Botanici, an sit planta veteribus sub eo nomine descripta, vel alia quædam, tamen vel nullum vel perexiguum est dissidium quod super hac planta inter illos oritur, siquidem de CHAMOMILLA nemo dubitat, quin vera & legitima sit, cum nihil in ea reperitur, quod non cum Dioscoridis descriptione conveniat.

IX. Tantam verò convenientiam & similitudinem quoad externam faciem inter se obtinent Cotula & CHAMOMILLA, ut vix externo oculorum intuitu una ab altera distingui & internosci queat, sed olfactu fere dignoscatur. Namque CHAMOMILLA nostras, ut & Romana, (licet cum hæc in hortis tantum colatur, tam cauta distinctione opus non sit) perquam suavem nec ingratum spirat odorem, cotula verò fœtida gravem & adversum de se spargit odorem & fœtet, inodora verò plane nihil olet. addit & hoc Matthiolus *Comment. in Dioscor.* Cotulam fœtidam simul esse adeo acrem, ut adalligata cutim quoque exulceret, inde quoque eodem referente, fieri, ut qui in campis alvum exonerant, & hac herba deinde sedem abstergant, paulo post intolerabili vexentur ardore.

X. Clarissimus Frid. Hoffmannus in *Clav. Pharmaceut. Schræderiana*, florum CHAMOMILLÆ examen per Microscopium

scopium ab ingeniosis & curiosis Naturæ mistis institutum ex Beckmanni *Physica Curiosa M. Sta.* profert: Nimirum capitula CHAMOMILLÆ lutea constare ex innumeris punctulis capitatis, quorum singula flosculos stellatos, etiam ex parte liliiformes repræsentent, ante flosculos autem totidem minutulas clavas. Subjungit laudatus modo Hoffmannus, simile quid etiam in Rosis observari, ut pote in quarum medio etiam crassiuscula punctula contineantur, quæ rosarum figuram per microscopium referant.

XI. Quod ad locum natalem attinet, vulgaris Chamomilla passim est obvia, & reperitur in aspero, sicco, macroque solo, juxta semitas & itinera, in arvis & locis aliis arenosis. Cotula foetida itidem passim invenitur, ideoque ne una pro altera per imprudentiam colligatur diligenter cavendum est. Romana verò colitur in hortis & viridariis.

XII. In Officinis pro usu Medico ex Chamomilla nostrate expetuntur potissimum flores, utpote in quibus potior virtus residet, seu etiam tota herba una cum floribus. Radix cum perpusilla sit, seorsim non colligitur, nec asservatur, & quantum ego quidem scio à nemine Medicorum hodie commendatur. Licet Plinius & Dioscorides radicis seorsim quoque mentionem faciant. Cotula verò utraque ex Officinis exulat.

XIII. Chamomilla Romana fortior ac penetrantior, partiumque magis tenuium, nostrâs verò aliquantum temperatior & magis anodyna censetur. Licet Clariss. D. Daniel Ludovici, in *Pharmac.* dicat, non opus esse Romana, cum vulgaris hac in parte, siquidem opus foret, satisfacere posset.

XIV. Ut etiam de collectionis tempore aliquid subjungamus, colligitur ea cum flores suos expandit, quod inter æstatis initia, hoc est mense Junio, vel etiam Julio fieri solet. Collecta in umbra siccat, & sic ad varios Usus Medicos per annum servatur, cumque singulis annis nova illius copia suppetat, melius est quotannis recentem colligere.

XV. Ordinis ratio jam postulat, ut ad usum Chamomillæ Medicum pedem proferamus. Et quidem in genere licet

licet vili æstimeretur pretio, iudicio tamen Hoffmanni nulli cedit virtute, aded ut primatum inter Euporista obtineat. Cui & Sim. Paulli in *Quadrip. Botanic.* adstipulatur, nobilitate enim & præstantia nulli earum Herbarum cedere ait, quæ vel in hortis oculos pascunt, vel rarenter ruri germinant, cujus laudes omnes hic loci recensere haud liceat, aded enim præclari usus esse, ut merito inter Euporista primas teneat, & inter simplicia cætera optimum polychreston auidiat.

XVI. Utraq; Chamomilla tam nostras, quam Romana, tum odore tum oleositate, Ettmülleri iudicio aroma dici meretur, cujus vis consistit in sale Volatili oleoso, unde vis ejus anodyna dependet, licet Romanæ flores habeantur penetrantiores, quam vulgaris, tamen in his potior virtus anodyna residet. Juxta Hermannum in *Colleg. Mater. Med. Msto.* utriusq; flores quippiam Balsameitatis volatilis, in salibustam fixis quam volatilibus fovent, à qua pendet vis singularis acria quævis demulcendi & obtundendi.

XVII. Moderatè calida est & sicca, omnibus in hoc consentientibus, & quidem in primo gradu, juxta Galenum *lib. 6. de simpl. Med. Facult. & l. 3. c. 10.* Chamæmelum rosæ quidem tenuitate persimile est, calore verò ad olei vires magis accedens homini tum familiares tum temperatas; Et Paulli *Q. B.* inquit: Usq; aded temperata in caliditate & humiditate advertitur, ut primum gradum minime excedat. Præterea tenuium est partium, vim obtinet digerendi, emolliendi, laxandi, rarefaciendi, dolores quosvis mitigandi, unde inter anodyna & paregorica medicamenta recensetur. Possidet virtutem carminativam, discutiendi, resolvendi, obstructiones referandi; unde interius varie usurpatur, in febribus varii generis, pleuritide, præcipue spuria & flatulenta, asthmate in affectibus abdominis dolorificis, cardialgia, ventriculi & præcordiorum inflatione, colico dolore, & hinc pedissequa Paresi, ileo, tenesmo, Dysenteria, hypochondriorum tensionibus, uteri dolore, ejusque affectibus aliis à flatibus oriundis, doloribus post partum, mensibus & lochiis vel non vel cum dolore fluentibus, in Nephritide & calculi dolore,

urinæ suppressione, stranguria & dysuria, ictero, hydrope, mesenterii, lienis & hepatis obstructionibus, & inde oriundis morbis.

XVIII. Externè verò longe frequentior est Chamomillæ usus, in paregoricis, emollientibus, maturantibus, cataplasmaticis, clysteribus, balneis, infessibus, fomentis, urgentis, linimentis; foris enim imposita tensa remittit, stipata rarefacit, dura emollit, & in cute stagnantibus excrementis viam facit, unde frequentis usus est, ubi discussione opus est & resolutione per transpirationem insensibilem, hinc & tumoribus flatulentis serosis & œdematosis felici cum successu exhibetur. Nullus ad sedandos dolores abdominis, renum, intestinorum, uteri &c. utilis paratur infessus, quin non aliquot manipuli tantum, sed sæpe integri fasciculi Chamomillæ ingrediantur. Sic & in affectibus internis supra recensitis sub formulis variis externè adhibetur, in lixiviiis cephalicis, item in pediluviiis frequenter usurpatur, nam juxta Galenum lassitudini spontaneæ siquid aliud cum primis confert.

XIX. Ut verò ea quæ de Chamomillæ viribus hic breviter & strictim sunt prolata, particulariter prosequamur, & per præcipua capita probemus, necessitas requirere videtur, adductis simul ex probatis autoribus felici curationis exemplis & historiis, ad clariorem dictorum dilucidationem & probationem. Et quidem de febribus initium faciemus, ubi primo loco in aciem Medicinæ antesignanum Galenum producemus, qui de virtute ejus antifebrili lib. 3. de simpl. Med. facult. c. 10. ita loquitur: *Chamamelum febres quæ citra alicujus visceris inflammationem infestant, discutit, dissolvitq̄, ac præsertim quæ ex humoribus biliosis, aut cutis densitate proveniunt; quæ de re & ab Ægyptiorum sapientissimis soli consecratum est, febriumq̄ omnium putatur remedium. Verum hac quidem in re à veritate aberrant, solas enim quas dixi febres sanare potest, easq̄ percoctas: Licet sane pulchre etiam reliquas omnes adjuvet, quæ Melancholica sunt, aut pituitosa, vel ex visceris alicujus inflammatione prognata, nam & harum remedium Chamamelum vel strenuissimum, ubi concoctis adhibetur scilicet, quapropter & hypochondriis, ut si quid aliud, gratum existit.* Ex quibus

bus Galeni verbis satis patet, quantopere Chamomillam in febrium curatione æstimaverit. Easdem etiam vires in simili- bus febribus Hoffmannus *de Med. Officin. c. d. Chamomill. l. 2. c. 62. p. 165.* ipsi assignat, ubi idem non tantum in febribus hypochondriacis, sed in omnibus hypochondriorum malis commendat. Et Dioscorides in farinam ad abigendos februm circuitus teri dicit. Dan. Sennertus de febb. l. 2. c. 18. in febre tertiana decoctum Chamomillæ & cremoris tartari ante paroxysmum exhibuit. conf. Joh. Jonst, de febr. Tert. p. 651. Lazarus Riverius *Prax. Med.* in febribus pituitosis decoctum Chamomillæ præstans esse dixit.

XX. Alii quoque in febribus felici cum eventu illa usi sunt. ita Achilles Gasserus *in Syllog. Welschii Obs. 25. p. 18.* exemplum producit de filia sua, quæ tertiana notha conflictari cœpit, cui post quartum paroxysmum sequentem potiunculam exhibuit

℞. Pulv. flor. & herb. Chamom. absq. stip. ℥j.
Aqua Chamomill.
Plantag. a. ℥j.

M.

detur initio horroris. Et hac potiuncula quater exhibita optime cessisse inquit. Zacut. Lusitanus *lib. 3. Prax. Med. admir. Observ. 26.* commendat in febre Epiala, & sequentem casum profert. *Laborabat quidam homo dives hac febre, & longo tempore adhibitis plurimis auxiliis convalescere non potuit. Tandem cum nihil proficeret, auxilium hoc generosum consulo, cujus ope, cocto humore, & vacuato corpore, in productis febribus citra visceris inflammationem feliciter sæpe usus sum, & est decoctum Chamomeli calidum cum saccharo, cujus ℥v. vel vj. singulis diebus jejuno ventre possunt concedi. Exhibe in hunc modum:*

℞. Flor. Chamom. p. iij.
Comar. absynth. pontic. p. ij.
coq. in aquæ lib. iij. ad remanent,
lib. i β. col. add. sacch. ℥jv.

addit, hoc auxilium præstantissimum esse, sumque sententiam Galeni & Avicennæ autoritate, testimoniis ex ipsis pro-

latis, roborat. Subjungit si decoctum fastidio sit, aquam ex ipsa herba cum flore per Mar. Baln. elicitam utiliter bibi, uti inter omnes eleganter adverterit Manardus, licet dubitem an aqua destillata paris cum decocto sit efficaciam. Locus Manardi verò à Zacuto allegatus hic est p. 494. ubi in consilio pro quodam febre tertiana laborante Chamomillæ usum his verbis extollit: *Inter omnia maximè excellit Chamemilla vocata, sive introrsum sive extrorsum ea utamur, potio videlicet ejus decocto per horam j. ante accessionem, cyathi Mensura, cujus potio si fastidiosa forte fuerit, ejus vice aqua ex ipsa herba cum flore per Baln. Mar. elicita bibatur, dorsoque ex oleo inuncto, in quo ter novi semper flores bullierint; cum ipso potu non incommode miscetur saccharum & glycyrrhizæ pulvis.* Usum externum in febribus cum Manardo pariter laudat Petrus Andr. Matthiolus, qui suadet, ut flores Chamomillæ ex ejusdem oleo dissolvantur, sicque febrientes à vertice capitis usque ad pedes illinantur, moxque stragulis ut sudent integantur, sic enim quascunque febres sanari, si sudor copiosius fluxerit.

XXI. Agmen circa febrium curationem claudat Isbrand. Diemerbroeck, qui *Observ. 94.* exemplum adducit, de febre tertiana intermittente notha, quæ jam ad aliquot menses duraverat, & cui depellendæ à Medico tot remedia præscripta fuerunt, ut ad omnia nausearet, si ipse demum vocatus dedit primo purgans aloëticum, post

℞. Absynth. Mj.

Cent. minor. Mij.

Card. bened.

Flor. Chamom. ana Mjß.

concis. coq. in Cerevis. tenuis lib. iij. per horæ circiter quadrantem, coletur cum forti expressione, bibat die paroxysmibus de ista colatura, intermissionis verò ter: hoc decoctum aliquoties repetiit, & febris quæ ab initio vehemens erat, statim mitior facta, & ultra quartum paroxysmum se non amplius extendit. Ea quæ Diemerbr. in scholio huic observationi subjuncto habet, cum illa vim Chamomillæ antifebrilem ulterius declarent, non incommode hinc subnectuntur.

Post-

Postquam enim locum Galeni, supra quoque à nobis allegatum integre produxisset, hæc pro ulteriori explicatione annectit: *Quamvis a. Galenus hoc loco doceat, Chamamelo tantum utendum esse, post materia coctionem, tamen cum per se coctionem illam potenter promoveri valeat, adhuc crassos humores incidat, obstructions aperiat, cruditates tollat, flatus discutiat, sudores & urinas insigniter promoveat, etiam ante materia morbifica coctionem illud summa cum utilitate exhiberi posse ipsa ratio satis demonstrat. Et hæc de virtute Chamomillæ produxisse sufficiant, ubi simul ex ultimis prolatis verbis satis patet, qua ratione paroxysmos febriles tollere queat.*

XXII. In Pleuritide tam vera quam potius spuria & flatulenta, item serosa & pituitosa, discutiendo, resolvendo, & dolorem mitigando convenit. Unde & Matthiolus decoctum potum, vel aquam è floribus destillatam lateris dolorem sanare inquit; hoc modo etiam decoctum quidam calide sumunt, in quo saccharum candum sit dissolutum. Simon Paulli, Q.B. inquit: *Mirum dictu quantopere aqua illius destillati partium suarum tenuitate valeat discutiendo, ita ut mirari satis nequeam cur Guido ut videre est apud Fallopium de tumor. præ. nat. 6. 17. inter communia repellentia oleum hoc recensere non verecundetur, imò cum vel magno agri commodo, sacculus externis thoracis partibus, in hoc affectu ex decocto Chamameli & Vesica suilla constans calidè applicari à dogmaticis Medicis soleat, manifestissimè apparet, minimè Chamomillam, contra omnem rationem, repellentibus esse annumerandam. Sic & externe oleum Chamomillæ vel per se, vel aliis Emollientibus, solventibus & anodynis pro rei exigentia mixtum toto die in Pleuritide pro partis dolentis inunctione præscribi cernimus. Sicuti etiam ipsum hoc oleum unguentum Pectorale augustanorum ingreditur. Pariter & in reliquis pectoris affectibus, tussi, asthmate, bronchiis pulmonum à flatibus, humoribus serosis vel pituitosis repletis, obstructis, vel distentis tam internè quam externè prodest. Quo in casu Veteres flores Chamomillæ pulverifatos & cum melle permistos commendabant,*

XXIII. Transeamus jam ad affectus infimi ventris, in quibus præcipue efficaciam suam laudabilem egregiè ostendit. Et quidem sumamus primum affectus Ventriculi. Quantus dolor sit Cardialgia, & quanta cum vehementia & cruciatu gravibusque symptomatibus affligat, vix credet, nisi qui ipsemet talia dolorum tormenta expertus est. At verò Chamomilla hic exoptatum affert auxilium, ut propterea flores Chamomillæ Georg. Wolffgang. Wedelio, *amoen. Mat. Medic. l. 2. f. 2. c. 7.* cardialgiæ specificum audiant. Et Averrhoes proprietatem in dolore ventris habere asserat. Utque dicti hujus veritatem iterum exemplis allatis confirmemus, Forestus *lib. 18. obs. 20.* profert observationem, de virò qui ingenti stomachi dolore afficiebatur, cum insigni clamore, ut sese quietum tenere non posset, ob nimiam angustiam, qua affligebatur, adhuc accitus Forestus, cum decoctum florum Chamomillæ, in cerevisia communi præbuisset, emissis ructibus, & in sudorem solutus, incantamenti instar omnis dolor evanuit, ita ut nullis aliis præfidiis uti opus fuerit. Idem Experientissimus Forestus *lib. 7. obs. 1.* ubi de febre acuta cum insigni Ventriculi dolore conjuncta agit, præmissis vomitorio & clystere, præscripsit fotum emollientem anodynum, & aliquo modo ventriculum roborantem, ex fol. Malv. Violar. Chamomill. sumit. aneth. ana. Mj. flor. ros. rubr. Mjss. coqui jussit in aqua pro fotu, quo dolor plurimum mitigabatur, sed sumpto decocto florum Chamomillæ in cerevisia communi, ructus multos cum emisisset, dolor sedatus est. Sub finem hujus observationis subjungit: *Venit tunc mihi in mentem vir ille de quo meminit Amat. Centur. 5. Curat. 39. qui simili dolore correptus post injectum clysterem, aqua decocta florum Chamomilla ℥iij. ebibit, & optime valuit.* Ex Foresto & Amato Lusitano River. *Prax. lib. 9. c. 10.* aquam ex floribus Chamomillæ destillatam, tanquam præcipuum leniendis Ventriculi & Intestinatorum doloribus auxilium laudat, cujus ℥iij. calidè exhibeantur, vel decoctum ejus.

XXIV. Sic non tantum in Ventriculi, sed & reliquis viscerum infimi ventris doloribus, intestinatorum, uteri, renum

renum &c. pari ratione adhibetur, ita ut vel decoctum in aqua simplici, Cerevisia vel Vino factum adhibeatur, imò calide saccharo instar decocti herbæ Thée edulcoratum forbilletur, vel aquæ carminativæ, quæ Chamomillam pro basi plerumque agnoscunt, vel essentiæ carminativæ, vel oleum Chamomillæ destillatum saccharo subactum, additis pro circumstantiarum varietate, stomachicis, carminativis, absorbentibus, opiatibus, præmissis etiam si opus est universalibus, exhibeantur. Externè quoque parti dolenti seu orificio ventriculi varie adhibetur, dum vel oleo Chamomillæ cocto illinitur, vel olei destill. ℥j. cum Ungv. pomati ℥j. permixti scrobiculus inungitur, quod remedium Hoffmannus in *Clave* laudat, vel flores sacculo insuti in lacte coquuntur & pars dolens calide eo fovetur, vel ex oleo destill. gt. v. & oleo laurin. express. ℥j. Balsamus paratur, quo regio ventriculi ad Cardialgiam inungitur.

XXV. Pariter in doloribus Colicis & Iliacis Chamomillæ usus convenit: tam in colica flatulenta, quàm convulsiva, ut & in ea quæ à scybalorum alvi induratione oritur, tum ab humorum acrimonia producta, unde etiam Ettmüller. inquit: *In curanda Colica vix simile habetur remedium*; hinc in vino decoctam in Colica passione incantamenti instar dolores sistere affirmat. Dan. Sennertus *Prax. lib. 3. p. 2. s. 2. c. 2.* in colico dolore passim commendat, præcipue verò p. m. 433. ubi inquit: Exhibetur quoque decoctum florum Chamomillæ in cerevisia vel vino albo tenui ad ℥jv. quod ad dolores leniendos præsentissimum est remedium, sicut & aqua florum Chamomillæ, decoctum tamen efficacius. Potest & sequenti modo exhiberi, quod Hermannus in *Colleg. Mater. Medic. Msto.* commendat:

℞. Aquæ dest. Chamomill. ℥iij.
 Spirit. theriacal. ℥ij.
 Laud. Op. gr. j.
 Oleum destill. Chamomill. gt. ij.
 Syr. è cort. aurant. ℥β.

M. f. Mixtura, in Colica flatulenta, vel hac ratione:

℞

℞. Aqua

℞. Aquæ Menth.
 Chamomill. ana ℥ij.
 Spirit. Carminativ. Sylv. ℥j.
 Elix. Menth. ℥ij.
 Spirit. Sal. dulc. q. s. ad grat. acor.
 Laud. Opiat. gr. j.

M. f. Mixtura colica.

Sic in eodem Colico & Iliaco dolore, clysteres varii possunt applicari, quorum Chamomilla basin constituere potest. v. g.

℞. flor. Chamomill. Mij. iij.
 coq. in vase clauso igne leni in aq. communi,
 ℞. colat. ℥viii. add.
 olei laurin. expr. ℥j.
 f. clyster ad colicam quamcunque, si nullæ
 fæces exeant add.
 sal. commun. l. gemmæ, vel nitri antimo-
 niati ℥ij.
 injice denuo clysterem, intorminib.
 colicis cum convulsione add.
 Essent. castor. ℥β.

XXXVI. In ventribus infantum pulv. florum Chamomillæ ℥j. ex decocto proprio sumtum laudatur, simul etiam convenit pueris ex vermibus sæpius febricitantibus. In tenesmo fomentum ex sacco floribus Chamomillæ referto in aqua vel lacte cocto, & calide applicato, ut & oleum coctum calide illitum confert. In Dysenterix principio cum lacte cocta, & calide hausta levamen notabile adfert. In affectione Hypochondriaca flatulenta itidem utilis, unde & Galenus Hypochondriis gratissimam esse ait, & Hoffmann. *de Med. offic. l. 2. c. 62. p. 165.* in hoc casu revera esse medicamentum polychrestum, ob calorem calori humano valde affinem, quo aperiat & discutiat. Sæpius enim contingit, ut hypochondriaci ex retentione flatuum, ex viscerum obstructione, humorum cruditate & M. Seæ impuritate, tensione præcordiorum, borborygmis, aliisque symptomatib. vexentur. quo in casu Chamomilla, variis sub formulis tum interne quam
 exter-

externe adhibita convenit. Frideric. Hoffmann. *Clav. in scorbuto & aliis flatulentis affectibus cum vino decoctam vel cum cerevisia, addito butyro vel per se vel cum Veronic. M. j. sem. carv. ʒj. & salis parum mirandæ esse virtutis anodynæ tradit.*

XXVII. In renum affectibus, Nephritide, atque calculo, Ischuria item Stranguria atq; Dysuria non inconveniens queque est. Sicuti enim Joh. Jacob. Waldschmid *Monit. Med. cap. de Calculo. renum admonet*: Omnia carminantia profunt Nephriticis præsertim ex Chamomilla parata. Et Dioscorides decocto eorum vesicas foveri jubet. De Chamomillæ insigni effectu in calculo & Nephritide digna videtur historia Sim. Paulli in *Quadr. Bot.* ut huc referatur, quam paulo contractioribus verbis huc transferemus, nempe vir quidam „ subinde corripiebatur Colica Nephritica cum enormibus „ symptomatibus, qui, Dysuria insigni præcedente, calculos „ lenticulari magnitudine excrevit, cui ordinavit post ali- „ quot injectos Clysteres anodynos decoctum florum Cha- „ momillæ, quod hacratione parabat: *R.* flor. Chamom. „ vulg. Mij. affund. Vin. Rhenan. lib. ij. digere in cineri- „ bus calidis per duas horas, postea fortiter exprime infu- „ sum colandum, & novis aliis manipulis florum Chamo- „ millæ affundendum, tertia & ultima vice coquatur, sed „ non diutius ac asparagos coquimus, hoc ipsum decoctum „ redditur adèd falsum à sale suo valatili, ut jurare quis au- „ fit, pugillos aliquot salis culinarii in eo esse liquefactos, „ hujus decocti ij. vel iij cochlearia remiscebat haustulo vini „ calidi & illi propinabat, à cujus medicamento simplicissimo „ usu non tantum gravissima symptomata mitigabantur, sed „ quoque laxatis sensim eo ureteribus citra insignem mole- „ stiam, aliquot calculi ex renibus in vesicam detrusi excer- „ nebantur, quo ipso medicamento post dein in aliquam „ multis ægris magno cum levamine usus est. Unde hic vir „ tanti fecit postmodum hoc evporiston, ut peregre profe- „ cturus semper secum flores Chamomillæ reciperet, quo „ urgente necessitate sibi decoctum ex iis parare posset. „

Pariter in hoc casu alii commendant Elæosaccharum Chamomillæ in vino calido vel alio liquore conveniente assumtum, Cum & clysteres Nephriticis convenient, ex Chamomilla parati injici possunt, item inunctiones & fomenta ad renes, abdomen & pubem, imò etiam balnea & infessus, unde Fernelius Chamomillam potu & infessu calculos urinasque pellere affirmat. Et Joh. Rajus *Catalog. plant.* inter omnes plantas, quotquot in balneo contra calculum recipiuntur, nil floribus Chamomillæ efficacius esse asserit.

XXVIII. Et sane in ejusmodi Nephriticis doloribus, item ad calculos & arenulas exturbandas longe convenientiora videntur lenia ejusmodi, laxantia, lubricantia, emollientia & diuretica, simulque anodyna & paregorica, quam *δρασμιότερα*, fortiora pellentia, & calidiora medicamenta, quæ posteriora quandoque tantum abest, ut levaminis aliquid afferant, præcipue in calidioribus & siccioris temperamenti hominibus, ut potius symptomata magis exasperent & exacerbent, calculum fortius impingant, & sic urinæ obstructionem magis intendant, atque calorem præternaturalem augeant, ut sæpe & hic verum sit istud:

--- --- peragit tranquilla potestas
quod violenta nequit:

Et quæ hic de nephritide & calculo dicta sunt, pariter quoque in colicis doloribus locum habent, ubi quando fortioribus & acrioribus medicamentis purgantibus alvum vi, ut ita dicam, referare volumus, obstructiones alvi sunt pertinaciores, irritatis magis ab acrimonia purgantis fibris intestinorum, & sic contractione illarum spasmodica magis aucta, unde & tormina colica magis augentur, & malum intenditur, cum itidem potius emollientia, fibras tensas & constrictas laxantia, lubricantia & demulcentia, nervina ac leviora eccoprotica potius convenient.

XXIX. In Ischuria, Stranguria, Dysuria, non minus quoque vires suas nobis communicat. Isbrand. *Diemerbr. Observ. 40.* in Dysuria à pituita acri & viscida talia commendat, quæ acrimoniam temperant, emolliunt, vias
urina-

urinarias lubricas reddunt, ut crassiori materiæ liberior transitus detur, & ad hunc finem consequendum decoctum florum Chamomillæ laudat. Non minus illam Petrus Forestus l. 25. *Observ.* 3. in hisce affectibus deprædicat, dum inquit: Chirurgus quidam h. m. stranguriam tollebat:

℞. Flor. Chamom.
Thym. ana p. j.
Fol. fenn. ℥ij.

coq. in aqua Chamomill. hujusque expressionis cyathum exhibebat. Pergit Forestus: Senex quidam Delphensis, cum modo dysuria, modo stranguria & ardore urinæ afficeretur, & lithotomus catheterem in vesicam demisisset frustra, putans lapidem in Vesica esse, ex mulierculæ consilio decoxit flores Chamomillæ cum lacte bubulo, & ita seipsum curavit. Rationem hanc subjungit: Lac ardorem mitigabat, & flores Chamomillæ lotium provocabant.

XXX. In uterinis affectibus Chamomilla pariter laudabiles effectus ostendit. In uteri doloribus eâdem ratione sicuti in Colico & Nephritico dolore conducit. Menses evocat, ideoque in imminuta tributi lunaris evacuatione vel ejusdem excretionem dolorificam, stillicidio, vel plenaria suppressione partim potu internè, partim infessu externè convenit. Ita aquam cum pulegio & scordio exhibitam ad menses provocandos Camerarius *in horto* commendat. Quin etiam in ipso difficili partu usus ejus laudatur, imò ad foetum mortuum quoque expellendum. Nam Arnald. de Villa Nova *cap. 18. specul. introduct. Medicinal.* ipsi & hoc vitii adscribit, ut etiam abortum provocare dicat. Quamvis id non tam singulari vi pellendi adscribendum esse videatur, si quid in hoc casu facit Chamomilla, quam fortasse vi emolliendi, lubricandi, & sic vincula seu connexum foetus sive placentæ uterinæ cum utero relaxandi, quemadmodum & hoc de semine Lini, ejus decocto & oleo notum est internè propinatum etiam gravidis nocere abortum provocando, non tam pellendi, quam emolliendi, laxandi & lubricandi vi.

XXXI. In parco vel suppresso lochiorum fluxu, secun-

dinarum retentione itidem conducibilis est, nec minus in doloribus post partum, qui atroces satis quandoque esse solent, sive illi à refrigeratione ab aëre externo incauté admissio, sive à flatibus, sive à sanguinis grumescencia, vel ejusdem transfuentis acrimonia, sive ab uteri, ob præcedentem partum laboriosum, læsione, sive à contractionibus uteri spasmodicis (ut ita Willisi aliorumque recentiorum loquendi formula utamur) continuatis & adhuc dum durantibus proveniant, in hoc internè decoctum, oleum & essentiam propinant, externè verò decoctum ejus hoc modo applicant. ℞. Chamomillam, include sacco, coque in vino, & applica abdomini. Ut verò nec hîc sine exemplo abeamus, Forestus lib. 28. *Observ.* 75. Historiam profert de puerpera, quæ cum post partum Gemellorum laboriosum, maximo dolore afficeretur, exhibuit cerevisiam in qua flores Chamomillæ decocti erant, addit: *Hoc enim simplici remedio tanquam tamen arcano, etiam Alcmariæ antequam Delphos venirem, uti solebam, & etiam nunc semper maximo cum successu. Proinde dicta puerpera eo decocto sumpto, doloribus paulatim cessantibus optime deinde fuit purgata in puerperio & bellissime se habuit.* Laudatus jam sæpius Forestus l. 28 *Observ.* 21. inquit: *Ad dolores post partum, quas muliercula Nachswehen vocant, magna cum laude utor sola florum Chamomillæ decoctione in Cerevisia communi, miraculi instar dolores post partum compescit.*

XXXII. Accedamus jam ad affectus externos, & externum Chamomillæ usum varium admodum & multiplicem, & si dicendum quod res est, omninò usus externus frequentior esse solet interno, & ab ejus effectibus & facultatibus, quas externè exerit, forte etiam de interno effectu fuit conclusum; sicuti Martin. Litterus *Exercitat.* l. de hydrope pag. 26. doctè conjicit, antiquissimum modum inquirendi in medicamentorum facultates esse ab externo operandi modo. Nam vulnerum auxilia & Chirurgiam, antiquissimam Medicinæ partem & primo excultam fuisse, authore C. Celso, cum autem multo post, ut idem perhibet, morborum curatio & rerum naturæ contemplatio nata sit, Philosophos medi-

medicamentorum internas facultates ab eorum usibus externis jam satis cognitis didicisse credibile esse putat. Siquidem sensum & experientiam in Chirurgia facienda multo facilius tutiusque in simplicium medicamentorum viribus cognoscendis instrui existimat. Hancque veram medicamentorum apud antiquos analyfin fuisse, quam admiramur, & hanc ejus originem à paucis animadvertam, nempe Experimentorum fidem à vulneribus (addo ego ab externis affectibus, & externo operandi applicatorum modo) exceptam fuisse. Id etiam Galenus *lib. 4. de simpl. medic. facult.* innuere videtur, qui pariter asserit, quod in vulneribus præstare nota sint medicamenta, id ipsum eadem assumta intra corpus efficere, v.g. quæ abstergunt & extergunt in vulneribus, eadem assumta intra corpus efficere. Pariter circa usum Chamomillæ conjectandum esse videtur, internum usum post cognitum & perspectum externum fuisse demum introductum.

XXXIII. Alii quidem solo usu Chamomillæ externo contenti sunt, internum verò non magnifaciunt, inter quos etiam Daniel Ludovici in *sua Pharmacia*, ubi de resolventibus & carminativis agit, referendus est, nam de ea judicat, non opus esse Chamomilla Romana, cum vulgaris hac in parte, siquidem opus foret, satisfacere posset, imò nec hanc internis formulis adedò necessariam, topicis sane aptiorem esse censet. Inde aquam seu spiritum elicatum balneatorium pene odorem obtinere, syrupum verò ad Clysteres damnat. Sed cum ipsa sensuum fide & experientia satis certo & manifeste constet de usu ejus interno proficuo & exoptatissimo, non video cur ad solos externos usus relegari debeat, ab aliis tantopere decantata planta, nec obstat balneatorius odor, qua loquendi formula juxta Ettmüllerū ad pediluvia vulgaria alludit, quæ vulgo Chamomilla fere semper ingredi solet, quorūque odorē spirat, & aquā Chamomillæ repræsentat, vel sapor quodammodo adversus, nam si solum ex hac ratione exturbari deberet, quid de pluribus aliis medicamentis fiet, Chamomilla ingratoribus adhuc & magis adversis? Nec sapor nec odor adeo adversus deprehenditur, nisi forte delicatulis, omnia

omnia fere medicamenta fastidientibus, aut si forte ob peculiaritatem *ιδιοσυγκρασιαν* quis eam adverteretur, id quod tamen laudabili ejus in aliis usui nequicquam derogat. Ipsum Ettmüllerum in *Commentar. Ludoviciano* à partibus nostris habemus stantem, qui inquit: *at esto* (balneatorium pene odorem habere) *hoc tamen pro stomachali usu decoctum est egregium, nec minus oleum ipsum sapphirinum.*

XXXIV. Externe itaque commendatur in affectibus capitis, dolore ejus ab intemperie calida oriundo, otalgia, & catarrhosis affectibus, vel oleū ejus externe illitum, vel sacculi ex floribus Chamomillæ parati & calide in forma sicca capiti vel auribus dolentibus impositi, vel flores additis cephalicis & nervinis roborantibus in lixivio decoquantur, ut caput calide eo lavetur, & postmodum frictionibus linteis calidis institutis optime iterum exsiccetur. In dentium doloribus exoptatum ejus usum in seipso expertus est Heurnius cum enim vehementer ex dente laboraret, decoctum paravit ex Nicotiana & floribus Chamomillæ in aqua, in ore detinendum, felici cum successu, insecuto liquoris flavedinem croci referentis copiosi è naribus effluxu. Convulsis ac anginosis oleum decoctū illitum insigniter confert, pariter ad lassitudinem spontaneam sedandam generosius medicamentum vix reperiri *Sim. Paulli Q. B. affirmat.*

XXXV. Ita quoque in affectibus pectoris, pleuritide, cardialgia, colico dolore, Nephride, uteri doloribus, vel decocto partes foventur, vel hujus oleo illinuntur, vel sacculi calidi in forma sicca, vel in lacte vel vino cocti imponuntur, sicuti de externo in dictis affectibus usu in præcedentibus jam innuimus. In tumoribus externis varii generis laudatur, phlegmonas enim mitigat, moderate resolvit, item in tumoribus serosis ac flatulentis ea varie utimur, ad dolorem leniendum, inflammationem mitigandam, resolvendum & discutendum, & alliciendos ex centro ad peripheriam humores, ut cute rarefacta & poris apertis sensim lenteque exhalent. In Arthriticis aliorumque dolorum initiis salubris quoque ejus usus est; in hypochondriorum flatulenta tensione,
febres

febres discutit oleum præcipue quæ à stipata cute proveniunt. In Clysterib. pro variis intentionibus, balneis, in fessib. pediluviiis, in unctionibus, linimentis, frequentissimi usus est, quorum formulas varias hic adducere supervacaneum esse censemus.

XXXVI. Varia præparata ex Chamomilla in Officinis quoque prostant. Et quidem 1. aqua Chamomillæ simplex, communi modo, vel etiam cum Vinodestillata, tam ex vulgari, quam ex Romana. Deinde 2. aqua Chamomillæ composita, seu aqua Carminativa Germ. *Griffen-Wasser* qualem describit Schræderus *lib. 2. c. 38. Nro. 9. p. 136.* quæ pro basi flores Chamomillæ agnoscit, additis aliis stomachicis, Carminativis & Resolventibus, cujus compositio etiam in Officinis prostat. Si plerarumque aquarum carminativarum compositiones evolvamus, videmus eas omnes pro basi fere Chamomillam habere, vel ad minimum eas satis larga quantitate ingredi, sicuti hoc apparet in aqua Carminativa Dorncreilii in Pharm. August. extante, in aqua carminativa Norimbergensium in pharm. Norimb. in Zvvelfferi Pharm. Regia prostante, Rolincii in Chym. in artis form. redacta descripta, in aqua carminativa seu anticolica Mynsichti &c. quarum omnium compositionem Chamomilla longo suo accessu nobilitat. Similes verò aquæ magnarum virium censentur in Morbis à flatibus subortis e. g. colica passione, ventriculi inflatione, cardialgia, hysteralgia &c. & tales aquæ præterquam quod flatus discutiant, ob Chamomillæ accessum vim quoque paregoricam simul obtinent.

XXXVII. Experientissimus & Materiæ Medicæ peritissimus Dan. Ludovici in *Pharmacia sua* ejusmodi aquas carminativas ob ingredientem Chamomillam, cuminum &c. ingratiore esse dicit, & propterea aliam substituit, & ad minimum haud inferiorem esse dicit aquam spirituofam Menthæ, vel solitarie, vel cum parte galangæ destillatam, & talem aquam esse plane polychrestam, eamque carminativis quibusvis, physogonis tam antiquioribus quam recentioribus longe anteferendam esse statuit: Sed cum earum effica-

ciam non neget Clarissimus autor, sed solum quod ingrati-
res sint alia substituat, non video cur propterea tales aquæ sint
rejiciendæ, cum & ipsa aqua Menthæ, quam hisce surrogat,
in quibusdam subjectis forte sit ingrator vel æque ingrata,
quam vel Chamomilla vel cuminum.

XXXVIII. 3. Syrupus quoque ex Chamomilla para-
tur, vel ex succo plantæ, vel ex infuso & decocto, sicuti præ-
paratio ejus in Pharm. aug. prostat, cujus tamen usus in-
ternus non adeo frequens est, dum Hoffmannus *de Med. Off.*
ingratissimum illum nominat, ad hydropem tamen & icte-
rum commendat, & alii in torminibus ventris puerorum,
cardialgia, colica, iliaca passione & affectibus uteri à frigore
enatis laudant. Potissimum tamen in Clysteribus usurpa-
tur, cum decocto emolliente & carminante, cum crassos fl-
tus evocare animus est, ubi Syrupus decocto ad uncias ali-
quot additur.

XXXIX. 4. Essentiæ anodynæ & carminativæ ex Cha-
momilla quoque parantur, ita Hoffmannus *in Clav.* talem
parare docet, quæ constat ex oleo destillato Chamomillæ
extracto ejus & sale volatili, & talem suam mereri laudem,
eamque rite præparatam, juxta sanioris Medici præscriptum
plus prodesse quam decoctum. Huc non immeritò refer-
tur Essentia carminativa Wedelii quam ipse Celeberrimus
autor in sua *Opiologia l. 2. f. 2. c. 5. p. 119.* describit & hæc est:

℞. Rad. Zedoar. ʒj.
 carlin.
 galang. ana ʒβ.
Cort. aurant.
Sem. anis.
 carv.
flor. Chamomill.
caryophyll. arom.
bacc. laur.
acor. ver. ana ʒjβ;
Macis ʒj.

Extra-

Extrahe contus. & concis. gr. m. cum spiritu Cort. Citr. acidulato satis spiritu nitri, qui extractione per aliquod tempus facta addi debet, cujus dos. gr. xx. xxx.

Addit se inde observasse præsentaneo cum effectu sublatum omnem dolorem. Idem Wedelius Amoen. *Mater. Med. l. 2. f. 2. c. 7. p. m. 358.* ex selectioribus carminativis, aromaticis, acidis & nervinis concinnatam esse affirmat, & medicam praxin ipsam tali vel simili carere non posse, modo anodyna maritentur, unde sæpius effectus laudatissimos & præsentaneos in variis casibus vidit.

XL. 5. Oleum Chamomillæ coctum frequentissimi præ reliquis præparatis usus quoque habetur. Quando nimirum flores recentissimi macerantur in oleo per aliquot dies, deinde coquantur, donec oleum prunis inspersum non amplius strepat, quod deinde colatum usui servatur. Hoc certe oleum multivarii est usus, in varii generis doloribus, tumoribus, inflammationibus, affectibus flatulentis, contracturis, convulsionibus, arthriticis affectibus, febribus pro spinæ inunctione, lassitudine, ut id propter insignem utilitatem Joh. Vigo oleum benedictum nominaverit.

XL I. 6. Etiam arte Chymica oleum destillatum elegantis cœrulei coloris elicitur, ex Romana quidem subflavum, ex nostrate verò sapphirinum. Et hunc quidem colorem coeruleum alii veneri seu vesicæ cupreæ, per quam destillatur, adscribunt, sed amoenus iste color, ipsi sapphiro coloris gratia non cedens, vel ad vitrioli Cyprei elegantiam accedens, non est ex ipso cupro mutuatitius, nam ex vesica cuprea stanno bene obducta talis color non elicitur, sed ex ipsa Chamomilla provenit. Adde quod Sim. Pauli Q. B. Chamomillam anno 1664. Mense Julio per organa vitrea destillari curaverit, & tam ex recenti quam sicco Chamæmelo adeptus est sat bonam magnam quantitatem olei sapphirini destillati, quod etiam suum colorem constanter, eo ne quidem tantillum immutato, retineat, quod fortasse contingit, si vase exactissime clauso reponatur. Subjungit, hanc

observationem mereri, ut philosophi, qui sagaciter colorum causas indagant, hujus quoque meminerint, cum jam certo constet coeruleum colorem hunc sapphirinum ipsi Chamæmelo esse nativum & proprium, haud à cupro ascititium aut mutuatum appellandum. Olei hujus quoque mentionem facit Th. Bartholin. *act. Hassn. Vol. 1. obs. 41. p. 76.* ubi tamen addit, notari meretur, Tincturam hanc sulphure sc. exhalante, evanescere, quamprimum aliquid aperto vitro, admisso aëre, in usum eximatur, vel inveterascat, ita in album colorem degenerasse, fuisse observatum. Sed Romanum Chamæmelum semper album oleum producere. Alii therebinthina addita hoc oleum destillant, sed tum illud potius de therebinthina, quam Chamomilla participat. In colica iliaca, hypochondriorum tensione flatulenta, affectibus uterinis, hujus olei guttas ij. vel iij. commendat Dan. Angelus in *Catalog. medicam. Spagyric.* Præstantissimum Remedium in cardialgia nominat Hartmannus *Prax. Chymiatri. Generosum remedium ad surditatem esse Franc. Joël l. 2. Pract. s. 2.* inquit: si aliquot guttulæ tepide auribus instillentur. Sic hoc oleum cum tantillo sacchari subactum illis exhiberi potest in vino calido vel vehiculo convenienti qui alias decoctum fastidiunt.

XLII. 7. Denique sal per incinerationem, ut in aliis salibus lixiviosis seu alcalinis parandis fieri consuevit, conficitur, quod quidam ad asthma pleuritidem, colicam, febres, calculos, icterum & hydropem commendant. Sed si dicendum quod res est, cum ejusmodi salia lixiviosa, non istam virtutem retineant, quæ in suo simplici ante incinerationem reperiebatur, sed obtineant vires in genere omnibus salibus alcalicis communes, & sic quoad virtutem nihil vel parum inter se differant, ex aliis potius plantis quam ex Chamomilla salia minori cum molestia & majori in copia parari poterunt.

XLIII. Sed occasione salis Chamomillæ de vi ejus contra hydropem quædam dicenda sunt, nam Bartholomæus Zorn, in *Pancovii herbario* cineres hujus plantæ ad hydroperam proficuas esse dicit his verbis: Chamillen ganz zu Pulver
 vera

verbrand/ in ein Beutelchen gethan/ Wein darüber gegossen/ und täglich davon getruncken/ solle gut wider die Wassersucht seyn. Et sane ejusmodi potus lixiviosi non inconvenientes esse videntur, quatenus serum per diuresin, interdum etiam per alvum propellunt. Nam de ratione hydropicos curandi per ejusmodi potiones lixiviosas hinc inde observationes prostant, non tam ex cineribus Chamomillæ, quam juniperi, vitis, genistæ, quercus &c. licet quoad effectum parum inter se differant. Sic apud Marcellum Cumanum *obs.* 2. de Hydropico refertur potu lixivii excinerebus ligni salicis & vitium parati curato. vid. Hieron. Reusn. Heurn. aliique.

XLIV. Absolutis jam virtutibus Chamomillæ, & præparatis ex ea in Officinis prostantibus, jam ad noxas, si quas possidet, & cautelas transeundum esse videtur. Nam

Nil prodest quod non lædere possit idem. ita etiam cum Chamomilla res comparata est, licet nulla singularis noxia qualitas in ea deprehendatur, vel à quopiam sit animadversa, quæ corpori humano notabile aliquod damnum inferre queat; modo dextre à Medico dogmatico, debita dosi, legitimo tempore adhibeatur, juxta artis regulas, vix aliquid sinistri inde timeri poterit. Nisi forte continuato usu interno ventriculi tonum quadantenus labefactare possit, ventriculus enim monito Wedelii *Amæn. Mat. Med. l. 1. f. 3. c. 6. p. 164.* humectari desiderat, non laxari, nam eodem monente, quæcunque medicamenta alias bona vel optima adhibeantur, videndum est, quomodo se habeant erga ventriculum, ne continuato usu actioni ejus naturalissimæ noceant ullo modo, cui tamen rei, si quid in Chamomilla timendum esset, Medicus peritus facile stomachicis aromaticis & adstringendo ventriculi tonum roborantibus prospiciet.

XLV. Superius quoque dictum fuit usum internum à quibusdam respui ob odorem balneatorium & saporem ingratum, cui rei Medicus quoque obviam procedet, ut facilius & minori cum aversione assumatur, si aliis suavioribus & gratioribus additis gratiam aliquam medicamento conciliare studeat. Supra autem audivimus, quod abortum quoq;

provocare queat, uti verò effectus certitudinem adhuc in dubio relinquimus, tamen Medicus circa gravidarum curationem ita se gerat, cum Medicina sit sanandi non nocendi scientia, ne ipsius culpa abortus insequatur, semperque in animo suo illud inscriptum habeat:

ita cures, ut non noceas.

XLVI Antequam tractationem nostram finiamus, etiam aliquid de fraudibus impostorum addendum esse videtur, cujus rei mentionem facit Anselm. Boëtius de Boodt de lapid. & Gemm. l. 2. c. 43. ubi de Sapphiro agit: Novi, inquit, quendam, qui cum magni à Magnatibus fieret, multis in Bohemia pro carissimo pretio pro Sapphiri oleo, obtruserat Chamomillæ oleum, id enim si certo modo destilletur, oleum præbet Sapphiro omni colore pulchrius, sed neque hoc sincerum est oleum Chamomillæ, sed alterius rei; floribus Chamomillæ adjungunt oleum album seu spiritum therebinthinæ, ac satis magnam portionem salis ammoniaci, hanc mixturam vesicæ cupreæ induunt, huicque aq. communem addunt, deinde exstillant aquam & oleum profus vulgari modo, aqua exstillata ol. in superficie sua, Sapphiro colore simile continet, id ol. therebinthinæ Chamamelino mixtum, sed color à sale armoniaco est, qui ex ære exfugens colorem eum oleo indidit, hæc Boëtius. Ex hisce videmus temeritatem talium impostorum, & Medicinæ carcinomatum, qui quidvis audent, ut suis dolis & nequitia pecuniam corradant, & homines credulos argento emungant.

XLXII. Hisce jam claudimus nostram de Chamomilla tractationem, & cum temporis angustia accuratorem elaborationem prohibuerit, rogamus æquum Lectorem, cum primæ tantum lineæ hic fere ductæ sint, ut tenuem hunc laborem in meliorem interpretetur partem. In cujus verò nomine incepimus, in ejusdem quoque finiemus, **DEUM T. O. M.** ardentibus precibus devotè orantes, velit sua gratia nobis in posterum ulterius adesse, quo conatus nostri & labores tandem ex ejus benedictione exoptatum fortiantur finem.

Ad Nobilissimum Dominum Candidatum

Gratulor eximiæ, Schaffer, Virtutis Amator,
Et fidum nostræ pectus amicitiaë.
Pulpita dum resonare facis, dumq; instruis aures,
Ut studiis dudum debita ferta feras.
Quam tractas, mira est & certè nobilis herba,
Fert laurum, fructum quæ ferat ulla parem?

A. C. Rehfeld, J. U. Lic.

*Ad Nobiliss. Dn. Candidatum de Chamomilla
differentem.*

Si mihi, dum spiro, dexter risisset Apollo,
Carmina nunc legeres non peritura Tibi.
Nunc quoniam modico spatiatur Musa meatu,
Accipe lentigrada munera parva Deæ.
Non est, Ingenium ut variis indulgeat herbis,
Cui cura est, homines mente valere piâ.
Interea Tua facta probo, Tibi prospera dico,
Sors Tibi præclarum leta secundet opus.
Ut verum fiat, spacium si conspicio Herba:
Maxima de nihilo nascitur Historia.

Votum ad integerrimum Amicum

J. G. Röedereri, Ministri

Verbi div. in Fürdenheim.

Quam

Quam Tibi Vox dulcis, notum: Te suavia docta
 Nunc etiam è cathedra posse docere, doces.
 Corde manuque applaudo: Deus pia vota secundet,
 Votivo populus quæ dabit ore Tibi!

Sic gratulatur

Johannes Spielmann,
 Argent.

Vergib mir süßer Freund/ wann ich in diesen Zeilen
 Auff dein verdientes Lob ein Körnchen Beyrauch streu.
 Dann will mir der Parnas gleich nicht die Feder feilen/
 So glaube/ daß es doch ein reines Opfer sey.
 Was die KUNSTEN seind/ und wie sie seyn zu brauchen/
 Wird nach der Würd allein von denen außgeführt/
 Die in der Compagnie der Esculapen rauchen/
 Gnug/ daß dein Mund davon jetzt gleichwohl disputirt.
 Indessen wünsch ich dir das Glück zu einem Slaven/
 Die Flora schreibt dich schon für einen Meister ein.
 Dein Ruhm soll nimmermehr auff meiner Zung erschlaffen/
 Würd gleich kein Herba mehr im Kräuter Viertel seyn.

Gratulatio ad Amicum suavissimum

J. F. Schusteri.

Verstatte/ daß ich dir zu deinen Lorbeern singe/
 Vnd deine gute Sach mit schlimmen Reimen ehr.
 Wer etwas edlers will/ als was ich jetzt bringe/
 Der steh vor deinen Stuhl und gebe dir Gehör.
 Die Pflanz wovon du schreibst hat aussen kleine Gaben/
 Doch innen würckt die Krafft auß einem jeden Blatt.
 Wohl dem der sich nicht müht der Augen Gunst zu haben/
 Wann sein geheimes Theil des Geistes Abscheu hat.

Mit diesem Wenigen wolte dem Hrn. Candidaten
 auffwarten

J. H. Kopp.
 Pharm. Br. Pr.

